

efficaciam in actu primo includere habitudinem ad futuram liberi arbitrii determinationem, ac proinde in congruitate vocationis sitam esse.

CAPUT XXVII.

EADEM DOCTRINA ALIIS SCRIPTURÆ LOCIS AD BONUM USUM GRATIÆ EXHORTANTIBUS SUADETUR.

1. *Inducuntur illa Scripturæ loca, in quibus homines exhortantur ut suam vocationem reddant efficacem.* — Secundo, principaliter ad hoc inducimus illa Scripturæ testimonia, in quibus homines exhortantur ut suam vocationem, quantum est ex parte sua, reddant efficacem, utique in actu secundo, vel, quod perinde est, admonentur ne irritam reddant vocationem Dei, nam hæc duæ negationes illi affirmationi æquivalent, nec potest aliter vocatio non fieri irrita, nisi consentiendo seu cooperando illi. Hæc namque exhortationes supponunt in potestate hominis activa et morali positum esse sufficientis vocationis effectum. Nemo enim prudens alium monet ut agat quod non potest, neque excitat illum ad recipiendum quod ab alterius sola voluntate provenire potest, nisi etiam ex sua pendeat; ergo testimonia quæ ad effectum vocationis homines exhortantur, supponunt efficaciam non pendere ex prædeterminatione, sed dari homini in actu primo, et in ejus morali potestate constitui, quoad actum secundum, quod esse non potest nisi per vocationem congruam. Nam si intercedere debet prædeterminatio, exhortandi prius essent homines ut haberent prædeterminationem, quod tamen supervacaneum esset, cum ab illis fieri non possit, neque ab eorum arbitrio pendeat.

2. Primo igitur isto modo inducimus verba Petri, 2 epist., c. 1: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*; quæ verba quoad particulam *certam* duplicem habent sensum. Unus enim ut significant certitudinem cognitionis, ita ut sensus sit: *Satagite per bona opera, vel vos ipsos, vel alios certos reddere, quantum in hac vita fieri potest, quod vestra electio vel vocatio a Deo sit, vel quod sitis vere justi, aut etiam electi, et prædestinati, quem sensum Beda, OEcumen. et Glossa sequuntur.* Alter sensus est, ut Petrus non de certitudine subjecti, seu cognitionis, sed de certitudine objecti et vocationis loquatur, ita ut idem sit facere vocationem et electionem certam, quod facere fir-

mam, per ejus executionem. Quam expositionem indicat D. Thomas, 1 p., q. 23, art. 8; ait enim prædeterminationem fieri certam per bona opera, *quia per mediorem executionem certitudinaliter impletur*, et ideo dixisse Petrum: *Satagite*, etc. Igitur facere vocationem certam, idem est quod illam in re ipsa ratam ac firmam reddere. Quod expressius tradit noster Bellarminus, lib. 3 de Justificat., cap. 9, ad ultim.; et in versione quæ apud OEcumenium est, sic legitur: *Ut vocationem et electionem vestram firmam faciatis*. Et eodem modo legit Cajetanus, estque hæc expositio textui consentanea. Imo, si quis recte consideret, prior etiam expositio hanc involvit ac supponit, quia ideo bona opera sunt signa quæ possunt cognitionem aliquo modo certam gratiæ ac prædeterminationis, vel in ipso operante, vel in aliis generare, quia vocationem firmam et ratam reddunt. In hoc autem sensu idem est facere vocationem certam, quod facere efficacem et fructuosam; est ergo hoc in potestate hominis, et ab illo pendet, alias frustra diceretur illi ut suam vocationem certam faceret.

3. Deinde hoc confirmatur ex verbis Pauli, 2 Cor. 6: *Adjuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; quæ quidem verba licet ad omnem gratiam hujus vitæ accommodari possint, nam illa exhortatio, et in gratis datis, et in ipsamet habituali, saltem pro futuro tempore, locum habet, tamen Paulus de gratia communi omnibus fidelibus loquitur, cum omnibus exhortetur, illaque de gratia actuali potissimum intelligit, quia habitualis non fructificat, nisi media actuali, et in tantum manet otiosa, in quantum actualis gratia in vacuum recipitur. Eo vel maxime quod habitualis gratia non est communis omnibus, cum tamen ad omnes dirigatur exhortatio, unde etiam fit ut ibi maxime intelligenda sit gratia vocationis, quia illa est prima inter actuales, ac proinde communis omnibus qui gratiæ Dei participes aliquo modo effecti sunt, ad quos Pauli exhortatio generaliter dirigitur. Evidenter enim ad eos loquitur Paulus, qui gratiam aliquam acceperunt, cum expresse dicat: *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Unde Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbit., cap. 5, sic ait: *Ut quid enim eos rogat si gratiam sic susceperunt, ut amitterent liberum arbitrium*. Intelligit ergo Paulum ad eos loqui qui gratiam aliquam susceperunt. Quod etiam est per se evidens, nam si nullam recipiunt, quomodo possunt illam in vacuum recipere? Unde testimonium quod in-

ducit Paulus: *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te*, et gratiam prævenientem datam supponit, et adjuvantem ostendit tempore placito, id est, legis gratiæ, oblatam esse; et ita D. Thomas ibi de gratia præveniente et cooperante locum illum interpreta- tur. Cum autem inter has prima gratia, quæ in homine recipitur, sit vocatio, de illa maxime monet Paulus, ne in vacuum illam recipiamus. Et ita intellexit locum illum Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbit., cap. 5, ubi hæc verba conjungit cum illis 1 Cor. 15: *Gratia Dei sum id quod sum, sed gratia ejus in me vacua non fuit*, quam gratiam ad vocationem reducit, dicens: *Ut autem de caelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola*. Quibus locis utitur etiam Concilium Senonen. in præfatione, ad ostendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio, quæ quidem concordia non habet difficultatem, nec habuit unquam respectu gratiæ habitualis, sed respectu actualis, et præcipue operantis, prævenientis, seu vocantis.

4. Hoc ergo supposito, tale ex hoc loco conficitur argumentum: nam vel Paulus loquitur de vocatione sufficiente in genere, ut abstrahit a congrua et incongrua, seu ab efficaci et tantum sufficienti, vel loquitur de pure sufficienti, vel de sola efficaci: quidquid horum dicatur, concluditur intentum. Nam si dicatur primum (ut plane dicendum est, cum Paulus generatim et indefinite loquatur), supponit admonitio Pauli esse in proxima hominis potestate, postquam sufficienter vocatus est, fructum talis vocationis ferre, si velit, et consequenter illam efficacem facere, vel illi resistere, et sic illam vacuum reddere. Dicent fortasse esse quidem hoc in potestate hominis vocati, sed non eodem modo, nam potest fructum talis gratiæ ferre, si aliam recipiat, qua prædeterminetur; potest item illam vacuum reddere, si non prædeterminetur. Sed contra, nam potestas dandi illam prædeterminationem est solius Dei, nec ad alterum illorum potest homo aliquid ex se præstare, ut supra probatum est; ergo frustra monetur vel a Petro ut firmam suam vocationem faciat, vel a Paulo, ut non in vacuum gratiam recipiat: nam prius oportuisset illum monere ut prædeterminationem recipiat, vel ut caveat carentiam prædeterminationis; hæc autem admonitio esset ridicula et frustranea, quia recipere vel non recipere prædeterminationem non est in hominis potestate, ut sæpe dictum, et probatum

est. Supponit ergo Paulus talem esse illam gratiam, ut in homine susceptam, ut ab homine ipso, adhibita sua cooperatione, possit fieri non vacua, quam nos congruentem vocamus, et quo possit etiam vacua fieri, si homo cooperari nolit.

5. Et declaratur amplius expendendo alia membra; nam si loquatur Paulus de gratia sufficienti, eo ipso exhortatur hominem, ut sufficientem gratiam efficacem faciat; ergo supponit hoc esse in proxima potestate hominis vocati, ex vi gratiæ sufficientis, ita ut, recepta illa gratia, immediate habeat in manu sua effectum gratiæ, sine alia gratia prævia, quæ non sit in hominis potestate. Probatum consequentia, quia, ut ibi Ambrosius et D. Thomas dicunt, *tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea fructus percipitur*, juxta illud Isai. 55: *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui*; ergo non reverti vacuum est reverti cum effectu. Sic ergo, in alio loco, gratiam Dei non in vacuum recipere, idem est quod non sine fructu et effectu illam recipere; ergo idem est quod bene illa uti, ita ut fructum ferat, nam duæ negationes affirmant. Idem ergo est *non in vacuum* quod cum fructu; si autem est cum fructu, jam est efficax; ergo monet Paulus ut ita in nobis recipiamus gratiam sufficientem, ut efficax etiam sit; ergo est in potestate nostra facere aliquid, quo posito gratia erit efficax. Quod verissime dicitur, si efficacia prævenientis gratiæ consistit in congruitate vocationis dicentis respectum ad nostram liberam cooperationem; cum efficacia autem prædeterminationis physici stare non potest, cum illa nullo modo sit in potestate hominis nisi mere passiva, nec ex nostra libertate pendeat, sed illam omnino antecedit.

6. *Propriam voluntatem hic appellat Augustinus, non ipsam potentiam, sed proximam potestatem libere utendi vel non utendi gratia.* — Denique non minus idem convincitur, si de gratia efficaci locum illum interpretemur, nam si eos etiam qui gratiam efficacem receperunt monet Apostolus ne in vacuum gratiam Dei recipiant, supponit profecto esse in potestate hominis vacuum reddere etiam illam gratiam, quæ, cooperante auxilio, futura est efficax. Nam si talis gratia supponeretur in homine recepta, cum qua impossibile esset homini non ferre fructum, supervacanea et illusoria esset admonitio, ut caverent ne gratiam illam in vacuum reciperent, quam receptam non pos-

sent ipsi reddere vacuum. Unde recte dixit Augustinus supra : *Ut quid eos rogat si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem.* Ubi propriam voluntatem appellat, non ipsam potentiam, nemo enim cogitavit unquam per gratiam perdi potentiam ipsam, sed intelligit proximam potestatem libere utendi, vel non utendi gratia, seu ipsum liberum usum quo vacua reddatur. Si autem gratia efficax præveniens prædeterminaret voluntatem, profecto secum non admitteret veram facultatem reddendi illam vacuum; ergo, si Paulus loquitur de gratia efficaci, et monet ne vacua fiat, supponit consistere in tali modo gratiæ, quæ in sua efficacia a libera cooperatione liberi arbitrii aliquo modo pendeat.

7. Et hoc confirmant alia verba Pauli, 1 Corinth. 13 : *Gratia Dei in me vacua non fuit; ubi sine dubio loquitur de gratia efficaci, talis enim erat gratia illi data, et tamen quodammodo gloriatur quod vacua non fuerit, sed abundantius (ait) illis omnibus laboravi, supponens profecto potuisse ah ipso vacuum fieri, alias quæ esset gloriatio? Ut autem non in se, sed in Domino gloriari cognosceretur, se statim corrigit dicens : Non ego, sed gratia Dei mecum, id est (ut Augustinus exponit), non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Ergo id per quod in re ipsa fit ut vocatio sit non vacua, quod est esse efficax, non est aliqua alia gratia sola, sed est gratia simul cum cooperatione liberi arbitrii, et consequenter præveniens gratia non est efficax sine habitudine ad hanc liberam cooperationem.

8. Responderi potest Paulum quidem loqui de gratia efficaci, in qua recipienda voluntas jam consentit (hoc enim expresse testatur Concilium Senonen. supra, et ex textu colligitur, quia loquitur ad fideles, qui efficacem gratiam ad credendum receperant), et nihilominus hortari eosdem fideles ne in vacuum gratiam Dei accipiant, non quidem quoad illum effectum quem jam in eis habuerat, sed quoad alios fructus honorum operum, respectu quorum prior illa gratia potest esse sufficiens, et non efficax. Respondeo imprimis, licet hic sensus ex parte verus sit, et intentus a Paulo, ut Chrysostomus, Theophylactus et alii exponunt, nihilominus non posse ad illum Pauli verba limitari, nam generalia sunt, ut supra dicere incœpi. Itaque non solum monet Paulus peccatores, sed etiam justos, ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Nam, ut ibi ait Theo-

phylactus : *Quid prodest a peccatis liberari divina gratia, deinde rursus eis per propriam socordiam impleri?* Deinde non monet tantum justos, sed etiam fideles peccatores, ne in vacuum gratiam fidei recipiant : *Nam (ut idem Theophylactus subdit) ad reconciliationem non sufficit fides, sed vita etiam est necessaria.* Deinde non monet tantum fideles jam credentes, sed etiam quoslibet jam vocatos ne gratiam vocationis in vacuum receperint, quia ad omnes loquitur; ergo si de gratia efficaci loquitur, etiam vocationem congruam quoad primam efficaciam ejus comprehendit, illamque efficacem supponit talem esse, ut possit per libertatem hominis vacua fieri. Deinde addo idem probari, etiamsi de priori gratia propria voluntate recepta sit sermo, quia illa non potest fieri fructuosa nisi cum nova gratia excitante et efficaci; ergo cum Paulus exhortatur ne gratiam illam redamus inefficacem, de illa loquitur non secundum se tantum spectata, sed ut habet adjuncta et oblata necessaria auxilia actualia ad fructificandum, in quibus gratia efficax actualis includitur; ergo semper idem argumentum redit.

9. Et ita Augustinus, et cum illo Concilium Senonense, citatis locis, maxime utuntur illo testimonio ad probandum gratiam non tollere liberum arbitrium. Et ut probatio sit efficax, necesse est intelligant Paulum ibi loqui de quacunque gratia viæ, nam hæretici non dicunt omnem gratiam tollere libertatem, sed aliquam. Unde si verba Pauli ad aliquam gratiam limitentur, non probabunt contra hæreticos; respondebunt enim illam quidem gratiam, de qua Paulus loquitur, non tollere libertatem, quamdam verogratiæ specialem illam tollere. Igitur de quacumque gratia hujus vitæ verum est posse ab homine vacuum fieri, et præcipue de prævia et actuali, nam in hoc maxime ab hæreticis erratum est; ergo de hac etiam loquitur Paulus, vel saltem etiam illam comprehendit. Nam (ut dixi) verius est generaliter loqui de auxilio gratiæ, cui nec repugnat evacuari fructum liberi consensus vel operationis, nec repugnat non esse vacuum sed in re ipsa reddi efficax, ita ut habeat effectum. Et his testimoniis adjungi possunt frequentes exhortationes similes, quæ in Scriptura inveniuntur, ut est illa 2 Tim. 1 : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Ubi, licet nomine gratiæ Dei possit gratia gratis data intelligi, maxime tamen loquitur Paulus de gratia Spi-

ritus Sancti, quæ in ordinatione seu consecratione datur ad Episcopatus et Sacerdotii munera sancte exercenda, ut Chrysostomus, Theophylactus, D. Thomas, et alii intelligunt. Cum autem Paulus dicat gratiam quæ est in te, clarum est per verbum resuscitandi non monere Timotheum ut amissam gratiam recuperare studeret, justus enim erat, et gratiam in se habebat; monet ergo ut non sinat esse otiosam, sed actuosam et operatoriam illam reddat, quod est ex parte sua illam reddere efficacem. Objei autem potest, quia hoc modo magis esset resuscitare hanc gratiam quam illi cooperari, quia illo verbo magis officium excitantis quam cooperantis significari videtur. Unde apud Chrysostomum, homil. 1, ita legitur : *Ut excites gratiam Dei quæ est in te.* Verumtamen excitatio illa, quam Paulus dicto loco posebat, supponebat excitationem quam Spiritus Sanctus facturus erat in eodem Timotheo, mediantibus illis eisdem verbis, quibus Paulus ipsum Timotheum monebat. Supposita autem illa excitatione generali a se facta, vel a Spiritu Sancto per eum, recte monetur Timotheus ut gratiam in se existentem excitet, et applicet ad particularia opera suo muneri consentanea. Et ita in illis verbis docemur, posita sufficienti gratia excitante, esse in proxima potestate nostra cum gratia cooperante efficacem reddere illam excitationem, non solum quoad consensum immediatum illi præstandum, sed etiam ad ulterius progrediendum ad excitandum in nobis alios effectus, et hoc modo torpentem vel etiam dormitantem gratiam excitare, et vigilantem reddere. Unde Chrysostomus ibi sic exponit : *Inest quidem gratia intra te, cæterum tu vehementiorem illam efficere stude; et iterum sic ait : Excita gratiam Spiritus, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, ad perpetranda miracula, ad omne religionis obsequium, quippe hanc vel extinguere vel excitare in nobis est, utique supposita prima excitatione Dei, quæ temporibus opportunis nunquam deest.*

10. *Spiritus Sanctus negligentia extinguitur, vigilantia vero suscitatur.* — Confirmat hoc Chrysostomus ibidem alio testimonio Pauli, dicens : *Idcirco et alibi ait : Spiritum nolite extinguere, is enim angore (vel forte langore) animi, et negligentia extinguitur, vigilantia vero et intentione suscitatur.* Unde Macar., homil. 17, cum dixisset : *Deus a perfectis requirit voluntatem animæ in obsequium spiritus, nempe, ut assentiantur, id confirmat dictis. verbis Apostoli : Spiritum nolite extinguere; et ho-*

mil. 27 : *At (inquit) quo pacto scriptum est : Spiritum nolite extinguere, si ipse inextinguibilis est et lucidus? Tu vero voluntate tua negligens ac non consentiens extingueris ab Spiritu.* Et idem confirmans addit : *Eodem modo dicit : Nolite extinguere Spiritum Sanctum Dei. Vides in tua voluntate positum esse, ac libero tuo arbitrio, ut honore afficias Spiritum Sanctum et non angas.* Ac denique D. Thomas, 1 Thessalon. 5, circa illa verba, varios modos declarans quibus a nobis potest extingui Spiritus Sanctus non in se, sed in nobis : *Unus, inquit, est, cum aliquis bonus motus surgit, et homo impedit; extinguit Spiritum.* Actor. 7 : *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ex his ergo testimoniis recte colligimus semper esse positum in hominis potestate, vel Spiritum, id est, motionem, et vocationem Spiritus extinguere, vel accendere, quod est ex parte sua efficacem reddere, illi cooperando. Et qui ab hac generali regula Scripturarum motionem prædeterminantem exceperint, ostendere debent Scripturas et authentica testimonia quibus talis exceptio nitatur, vel, si illa non censetur exceptio, necessarium erit ut exponant quomodo respectu talis motionis locum habeat illud : *Spiritum nolite extinguere, vel illud : Vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

11. *Quinam dicantur Spiritui Sancto resistere.* — Quæ verba ultima paulo amplius urgere libet; illi enim dicuntur Spiritui Sancto resistere, qui vocationi ejus, illuminationi et inspirationi non consentiunt neque cooperantur. Interrogo ergo an illi ita moti essent a Spiritu Sancto, ut statim seu immediate posent, nulla alia præmotione Spiritus Sancti expectata, bene uti illa vocatione, eique assentire, vel adhuc indigerent alia motione, sine qua inclinare aut determinare voluntatem suam non possent. Si primum dicatur, merito quidem arguuntur illi, quod Spiritui Sancto resisterint, consequenter vero inde convincitur non esse necessariam motionem prædeterminantem ad consentiendum vocationi sufficienti, neque ad reddendam illam ex parte nostra efficacem, seu ad cooperandum illi ut efficax sit. Si autem dicatur secundum, immerito illi de resistentia culpantur, quia falsum est eos restitisse, præsertim moraliter et libere, quod necessarium est ut eis dissensus ad culpam imputetur. Probat, quia illa resistentia est tantum negativa, scilicet, quia homo non statim inclinatur voluntatem suam ad consensum et flectit illam, submittendo

eam tali vocationi; et hæc non potest dici resistens, nec imputari ad culpam, quia nondum datum est, nec oblatum, aut aliquo modo positum in manu hominis, id sine quo inchoare non potest talem inclinationem, seu determinationem voluntatis; non est ergo illa resistens, sed impotentia amplectendi talem vocationem; vel resistens illa est positiva, quia homo proprio actu vult dissentire, et tunc non solum procedit ratio facta, sed etiam alia, quia ad illum actum positivum prædeterminatur voluntas humana a motione Dei, et illa motio est prima radix talis resistentiæ homini inevitabilis; ergo homo non resistit Spiritui Sancto, sed ipse Deus est qui suo spiritui, ac proinde sibi, resistit. Et similem vim habent verba illa: *Vocavi, et renuistis*, Proverb. 1; et illa: *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Psalm. 94; et illud: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti*, Matth. 23. Nam his omnibus et similibus discursus factus potest applicari.

12. *Quid sit expectare vœas.* — Peculiariter autem hunc argumentandi locum optime confirmat reprehensio illa Domini ad populum Judaicum per Isaiam, cap. 5: *Expectavi ut faceret vœas, fecit autem labruscas.* Quid est enim expectare vœas, nisi expectare fructum, et effectum culturæ spiritualis vineæ, quæ proculdubio fit per vocationem et auxilia prævenientia, non externa tantum, sed etiam interna sufficientia, et necessaria ad ferendum fructum, ut supra lib. 5, cap. 2, probavi, et convincunt illa priora verba: *Quid amplius debui facere vineæ meæ, et non feci?* In illis autem non comprehenditur auxilium prædeterminans, ut est per se evidens, quia si illud datum esset vineæ, infallibiliter fructum attulisset; ergo sine illa sunt alia auxilia de se efficacia, si homo eis uti velit ad ferendum fructum, et e converso voluntas illis præparata immediate potest facere ut sint efficacia cooperando illis, cum auxilio simultaneo sine alio prævio. Alioqui frustra Deus expectaret fructum a vinea, quæ ad ferendum fructum indiget tribus beneficiis, verbi gratia, putandi, fodiendi et rigandi, si duobus adhibitis tertium omitteret. Quod evidentissime urget in auxilio prædeterminante, si necessarium est, quia illud quando non datur, nullo modo est in hominis potestate, quia Deus pro solo suo arbitrio dat vel non dat illud; si ergo Deus non dederat, imo ex se decreverat non dare prædeterminationem suæ vineæ, quid de illa conqueritur quod non dederit fructum? aut

quomodo potuit ab illa expectare fructum cum non posset vel ab illa vel in illa prædeterminationem expectare? Illa ergo reprehensio efficaciter convincit, post sufficientem culturam mysticæ vineæ, quæ omnia auxilia prævenientia actu data, et concomitantia oblata includit, efficaciam sumendam esse in ordine ad cooperationem liberi arbitrii, ac subinde in congruitate consistere. Et hoc amplius confirmabimus cap. 37, declarando quomodo Deus expectat fructum liberæ voluntatis, nam illa expectatio certissima est, et profecto, si determinatio physica necessaria esset, locum non haberet, ut ibi ostendemus.

13. *Concluditur illis testimoniis, quibus post sufficientem vocationem postulatur, speratur etc., consensus.* — Denique concludimus hunc locum illis testimoniis quibus post sufficientem vocationem postulatur, speratur, vel alio simili modo vocationi immediate conjungitur consensus, tanquam in proxima hominis potestate existens. Nam ut hæc omnia vera sint, et non fictitia, necessarium est, præter eam vocationem, nihil necessarium esse ad effectum et efficaciam ejus, præter usum liberum cum simultaneo Dei auxilio, nam si quid prius et quasi medium inter illa intercedere necessarium est, illud prius esset præstandum, vel procurandum, quam consensus postularetur. Nam alias consensus non esset in proxima hominis potestate, sed in remota, vel non esset in potestate activa completa, sed in receptiva, quod talibus testimoniis repugnat. Hujusmodi est illud Apocalyps. 3: *Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit, intrabo ad illum.* Ut enim in his verbis: *Si quis aperuerit*, non postuletur ab homine conditio impossibilis, necesse est ut, supposita pulsatione Dei, sit in potestate hominis aperire, ut per se notum est. Ergo necesse est ut in actu aperiendi (qui est consensus) jam non pendeat voluntas ab aliquo auxilio, quod non sit in ejus potestate, nisi tantum passiva. Nam quod hujusmodi est, non est in morali hominis potestate, neque est conditio homini possibilis moraliter, nisi quantum homo aliquid libere agere potest ad illud consequendum, quod de auxilio prædeterminante dici non potest, ut supra ostendi, ubi probatum est neque positive neque negative posse hominem se disponere ad prædeterminationem, aut illam impedire, vel non impedire. Ergo conditionalis illa promissio ostendit, recepta vocatione præveniente, et oblato auxilio simultaneo, esse in proxima hominis potestate ita se gerere, ut efficacem red-

dat vocationem sine alio auxilio prædeterminante.

14. Respondent aliqui in illo loco et similibus sermonem esse de vocatione non quacumque, sed efficaci, quæ includit auxilium prædeterminans, ut ipsi dicunt. Sed, præterquam quod prædeterminatio non pertinet ad vocationem, ut infra circa testimonia Augustini ostendam, gratis et contra vim verborum illa evasio huic testimonio applicatur. Primo, quia verba Scripturæ generalia sunt: *Ecce sto ad ostium et pulso*, quæ non possunt universaliter de vocatione efficaci verificari, quia Spiritus Sanctus non est semper ad ostium, ut efficaciter pulset. Unde Concilium Senonen., decret. fidei 13, expresse illa verba intelligit de præveniente auxilio indifferente, cui resisti potest, et sæpe resistitur; et idem indicat Trident., sess. 6, cap. 5. Secundo, quia si prædeterminatio data cum tali vocatione supponitur, impertinens est illa conditio, quia ex suppositione talis vocationis esset conditio necessaria et inevitabilis; conditio autem non apponitur, nisi quia, non obstante pulsatione Dei, fieri potest ut homo non aperiat, tali potestate quæ sæpe in actum reducitur. Tertio, quia certum est similem conditionalem esse verissimam de omnibus sufficienter vocatis, quod, si aperuerint, Deus intrabit ad illos. Hac enim ratione, de omnibus adultis peccatoribus verum est quod, si poenitentiam egerint, justificabuntur; ergo promissio illa conditionalis non fit tantum efficaciter vocatis, sed etiam sufficienter vocatis; ergo de illis omnibus verum est habere in potestate sua efficaciam suæ vocationis, cum tamen non habeant in potestate sua prædeterminationem; ergo efficacia non pendet ex prædeterminatione, sed ex cooperatione liberi arbitrii, seu habitudine ad illum. Et eodem modo induci possunt similia testimonia: *Convertimini ad me*, etc., Zachar. 4, Joel 2; *Projicite iniquitates vestras, Facite vobis cor novum*, Ezechiel 28 et 33, ubi similes habentur promissiones.

CAPUT XXVIII.

ALIA SCRIPTURÆ TESTIMONIA CONTRA PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM EXPENDUNTUR.

1. *Afferuntur testimonia Scripturæ quæ directe physicæ prædeterminationi repugnant.* — Tertio, principaliter afferre possumus testimonia quæ directe physicæ prædeterminationi repugnant, nam illa consequenter probant auxilium efficax in congrua vocatione consis-

tere, quia, exclusa prædeterminatione, non potest aliter explicari auxilium efficax. Inter hæc autem testimonia, quædam ostendunt auxilium efficax, quod simpliciter necessarium est ad singula opera pietatis, non esse ponendum in prædeterminatione efficaci, seu (quod perinde est) prædeterminationem physicam non esse per se necessariam ad singula opera pietatis, sed ad illa implenda sufficere homini vocato liberam determinationem ejus. Et hanc partem probant satis efficaciter multa ex testimoniis in duobus punctis præcedentibus adductis. Quia dum probant, per vocationem sufficientem ita poni consensum in potestate voluntatis ut immediate valeat in effectum prodire, et per illam stare ut non sit efficax vocatio, vel ut habeat effectum cum simultaneo auxilio oblato ex parte Dei, consequenter convincunt non esse simpliciter necessariam hujusmodi prædeterminationem ad talem consensum.

2. Et ad hoc ipsum probandum valent omnia testimonia quibus libro præcedenti, cap. 2 et sequentibus, probavimus dari hujusmodi auxilium sufficiens, quod, licet interdum sit remotum respectu alicujus actus, reducendum semper sit ad aliquid cujus comparatione sit proximum, ita ut per illud et cum illo possit voluntas in aliquem bonum actum prodire, vel pravum vitare. Hæc enim proxima sufficientia auxilii nunquam esse potest respectu alicujus actus, si prædeterminatio est necessaria, quia si prædeterminatio data est, jam non est sola sufficientia, sed efficacia; si vero non est data, eo ipso quod data non est, auxilium non est proxime sufficiens, quia deest aliquid necessarium, quod prius obtinendum est, non comitanter tantum, sed prævie et anteceder. Unde etiam fit ut non sit in proxima potestate activa hominis, sed tantum in receptiva. Semper ergo potentia illa, in statu sufficientiæ concepta, est tantum remota. Et consequenter ulterius fit quod non sit sufficientia libera et moralis, quia receptio talis prædeterminationis nullo modo est in activa potestate hominis, quia neque ad illam prædeterminationem efficiendam potest effective vel libere concurrere, neque etiam potest aliquid libere agere, quo illam obtineat vel non impediatur. Sic ergo testimonia Scripturæ, quæ probant dari auxilium vere ac proxime sufficiens, probant auxilium necessarium ad pie operandum non consistere in physica prædeterminatione.

3. Quibus addi potest illud Deuter. 30: *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie non supra*